



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. IV. Iannem. successionis. De famigerata quæstione, occasione Statuti
Urbis in successione exteri in ea morientis; An Statuta capiant bona extrà
territorium; Sive an in bonis in territorio ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

DISCURSUS IV.

matre in medio, cesset statutaria dispositio ad effectum, ut ipsa mater succedat in eo, quod jus commune sibi deferret tanquam in casu omisso per Statutum, sed non per hoc cesset exclusio fororis utrinque conjunctae per ejus germanum fratrem, ad cuius favorem, faciendo numerum, faciat partem, juxta ea, quae ad aliud propositum habentur dicto disc. 4. §. seq. de legit. & de rati. quoniam spectandus est finis, seu effectus à Statuto volutus, sive attendenda est ratio, ob quam in casu omisso ita receptum sit, non autem immorandum est in hujusmodi judicium verè alienis ab omni probabilitate, & ratione, quae legis anima dicitur; Ponderando etiam quod in omnibus hujusmodi statutariis quaestionibus reflectendum est ad supra insinuatam principium latius deductum in dicta Penultima disc. 1. ut inspicendum sit, an agatur de Statuto verè odioso, ac exorbitanti, quod ab omni jure communi verè exorbitet; Vel potius de eo, quod sit restitutorium juris, cum quo in Romano Imperio, quando in Italia sedem habebat, vivebatur, sive per quod conserventur nostri Itali mores, qui aderant de tempore, quo legum civilium inventio sequuta est, seu earum usus haberi cepit, atque exinde resultent tot omnino irrationabiles exorbitantiae contra omnem rationem humanam, quae est legis praecipuum fundamentum, vel anima.

- 9 *De rationibus pro benigna Statutorum interpretatione.*
- 10 *Quare apud Januenses non habeatur usus fidei commissorum.*
- 11 *De alio tamen usu aequo valenti.*
- 12 *Quod paganus non possit habere duos haeredes, duasq. diversas hereditates.*
- 13 *Contrarium verius.*
- 14 *Ad quid istud inconveniens sit operarium.*
- 15 *Quod debeat attendi Statutum personarum.*
- 16 *Statuta operantur quoad bona extra territorium ratione voluntatis morientis.*

DISCURSUS IV.

Cum in Vrbe obiisset Nicolaus Spinola nobilis Januensis, qui occasionaliter in ea moram traheret, superstitibus, Episcopo Savonensi germano fratre, Thoma ex uno, & Delia ex altero, pariter germanis fratribus praefunctis, nepotibus; Hinc orta est dubitatio, an in bonis Urbis, dicta Delia ad intestatam successionem admittenda esset, (cum in alijs existentibus in Civitate, ac Ditione Januensi, nulla caderet dubitatio ob copulativum concursum utriusque subjectionis personarum, & bonorum) Quare desuper ex parte Thomae pro veritate consultus.

Respondi, quod ubi de quaestione disputari debuisset in Curia Romana, ubi casus successionis contigerat, plana erat resolutio favore feminae, cum hodie post hujusmodi quaestionem accerrime disputatam in celebri Narnien. *successionis coram Merlin.* inter suas dec. 352. & 526. quarum prima est repetita dec. 177. par. 5. & altera decif. 68. par. 6. recen. extra controversiam sit, ut utraque subiectio personarum, & bonorum copulativè requiratur, neque intret combinatio Statutorum, quamvis consimilium utriusque loci respectivè, ac habetur etiam apud Burarr. & adden. decif. 188. & 262. dec. 228. par. 8. rec. & frequenter.

Verùm quia causa tractanda erat in dicta Civitate Januensi communi patria, cujus forus, ex eo rigorofo Statuto (super cuius observantia nimitum insistitur) neque pro bonis extra illud territorium vel ditionem existentibus, declinari potest, ut advertitur in sua materia *sub tit. de judic.* Cum ibi non habeant Rotae decisiones illam majorem auctoritatem, quam habent in Curia Romana; & in alijs Tribunalibus ab ea dependentibus; Quamvis ubique ipsius Tribunalis magnam esse auctoritatem, ultra ea, quae dicunt nostri praesertim *Gomez. in proem ad regnl. cancellar. q. 2. n. 10.* restantur cæteris relatis *Franch. dec. 605. n. 6. Fontanell. de partis claus. 6. glos. 2. p. 3. n. 46. Gait de credito c. 4. qn. 7. nu. 729. & alij*; Hinc proinde de meo sensu consultus fui, quid in puncto juris probabilis videretur, perinde ac si articulus non esset adhuc decifus in loco.

Super hoc autem dixi, quod, quando non concurreret utrumque uniforme Statutum, sed solum adesset illud loci personarum concurrentium, non autem alterum loci bonorum sub controversia eadentium, tunc aliqua major dubitandi ratio cedere videretur; Quamvis adhuc ex proprio sensu, vel genio, magis etiam placeret, atque probabilior videretur opinio masculo favorabilis, quam plene, ac doctè alijs relatis verior esse probat *Bellon. jun. cons. 74. num. 117. cum seqq.*; Tum ex pluries insinuata ratione verisimilis voluntatis ipsius morientis; Tum etiam ex altera inhabilitationis proprii subditi, qui non videretur à proprio Principe, vel Superiore prohiberi, ne alteram subditi

JANUEN. SUCCESSIONIS PRO THOMA SPINOLA CUM DELIA SORORE.

Discursus pro veritate.

De famigerata quaestione occasione Statuti Urbis in successione exteri in ea morientis; An Statuta capiant bona extra territorium, sive an in bonis in territorio existentibus, suffragentur masculo forensi, in cuius patria idem viget at Statutum, an scilicet intret, necne, combinatio utriusque Statuti personarum, & bonorum.

SUMMARIUM.

- 1 *Acti series.*
- 2 *Quod requiratur utraque subiectio personarum, & bonorum, & non detur combinatio Statutorum.*
- 3 *De Statuto Januae super prohibita declinatione illius fori.*
- 4 *De Rota Romana auctoritate.*
- 5 *Ubi viget Statutum in loco personarum, & non bonorum, an ista sub eo veniant.*
- 6 *De rationibus, ob quas videntur etiam bona extra territorium.*
- 7 *Ut verius sit esse debere locum combinationi.*
- 8 *Contrarium tenet Rota, & de eius fundamentis.*